



PROCANCELLARIVS
D. CAROLVS FRIDERICVS
GVNTHER

FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIVS

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO

CAROLO AVGVSTO LEHMANNO

NEVKIRCHA - LVSATO

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES

D. XXI. M. DEC. A. MDCCCXXXIII.

TEMPORE ET LOCO CONSVETO CONFERENDOS

INDICIT.

IN EST:

*Ad §. II. legis Saxonicae de incendiariis d. d. XVI. Novembris
a. p. C. MDCCXXXI. promulgatae*

COMMENTATIO I.

§. 1.

Generalis argumenti expositio.

Saepenumero conqueri audivimus et iudices et causarum patronos de nimio rigore legis Saxonicae de incendiariis ¹⁾, neque sane istae querelae, ut verum fateamur, omni ex parte iniustae videantur. Nulla tamen sanctio eius legis saepius iniquitatis accusata est, quam ista, quae paragrapho secunda continetur, qua quidem legislator tum quoque incendii crimen consummatum existimari iubet, quum materia ad ignem concipiendum apta arserit, etiamsi res ipsa, quam flammis deleri voluit incendiarius, nondum igne correpta fuerit. En verba paragraphi. *Und wie dieses delictum vor ganz vollbracht zu halten, und mithin auf die nur bemerkte Strafe des Feuers zu erkennen, wenn die zum Brennen bequeme Materie angelegt und angezündet, obgleich die Gluth nicht ausgebrochen, und das Gebäude, Holz, Getreide, Heu oder Stroh nicht ergriffen, sondern das angelegte Feuer von selbst erloschen; also soll auch dem Verbrecher zu Milderung der ordentlichen Strafe weder die Unwissenheit derselben, noch das freiwillige Bekenntniß der begangenen Mißhandlung, noch die Minderjährigkeit, wenn er nur das vierzehnte Jahr völlig zurückgelegt, noch daß er durch des Brandbeschädigten vorgängige Beleidigung dazu gereizt worden, noch die nach angestecktem Feuer bezeigte Reue und daß er nach vollbrachter That solche entdeckt, andere zum Löschen und Dämpfung des Feuers*

¹⁾ Mandat, die ohnnachbleibende strenge gesetzmässige Bestrafung des vorsätzlichen Feueranlegens betreff., v. 16. Novbr. 1741. (I. C. C. A. I. pag. 325.)

herzugerufen und selbst dabei Hilfe geleistet, oder auch einige Praescription und Verjährung zu Statten kommen. Würde jedoch der oder diejenige, welche zum Brennen geschichte Materie, in der Absicht, dadurch eine Feuersbrunst zu verursachen, angelegt, aus Gewissenstrieb selbige, bevor sie sich entzündet, wiederum hinwegnehmen, so soll auf diesen Fall zwar nicht auf die Todesstrafe erkannt, jedoch aber der Delinquent mit harter Leibesstrafe deshalb angesehen werden.

§. II.

C o n t i n u a t i o.

Hanc sanctionem multi putant iuri Saxonico esse peculiarem et qua severitas iuris communis exacerbetur. Multi etiam ita eam reprehendunt, ut notam illam, quae ad designandam criminis consummati notionem atque naturam sit constituta, in multis delicti formis vix cognosci posse, aut, si possit, talem esse dicant, qua nequaquam consummatio facinoris, sed merus conatus delinquendi, interdum talis, qui vix ad praeparati delicti gradum accesserit, designetur. Sic quaeri memini: si quis taedam eo consilio accendisset, ut aedes inflammaret, utrum delictum incendii, certe tum, quum taedam ardentem parietibus aut tecto admovisset, neque tamen ea materia, forsitan, quod humida esset, conflagravisset, pro consummato habendum esset, necne? Alio tempore ambiguum visum est, quum quis accensum baculum ligneum, filis sulphuratis circumplacatum, ac pannis linteis involutum iniecisset in stabulum; ubi ramenta ligni dedolati iacerent, neque tamen ista ramenta, neque tabulamenta arsissent, utrum iste conatus esset incendii excitandi, an delicti consummatio? Quod autem saepissime in disceptationem vocatum est, hoc fuit: utrum ad consummandum crimen incendii ex mente iuris Saxonici sufficeret, si aut materia ad ignem excitandum adhibita, aut res ipsa (v. c. domus) concremanda glisceret (glimmte), an hoc ad consummationem criminis requireretur, ut clarae flammae emicarent. Multa alia quae saepe dubia visa sunt, consulto

praeterimus, quippe iam haec, quae diximus, sufficere arbitrati ad excusandum consilium nostrum investigandi, quae sit vera sententia paragraphi II. legis Saxonicae de incendiariis, et quid ex eius praeceptis requiratur, ut crimen incendii pro consummato haberi possit. Quo ut perveniamus, paulo altius in hunc locum inquiramus, et quid prioribus temporibus et iure communi et Saxonico de hac re statutum aut Ictis probatum inveniatur, videamus.

§. III.

Quid in legibus de nota criminis incendii consummati inveniatur, disquiritur.

Legum de ea re altum silentium; forsitan tamen ex leg. IX. D. de incendio, ruina, naufragio, (XLVII. 9.) quae desumpta est ex GAI I. IV. ad leg. XII. tabb. aliquid ad illustrandam quaestionem propositam deduci posset. Secundum istam enim legem GAIIO quoque incendium non fuisse videtur, nisi res aliqua claris flammis arsit. Ait enim: „eum, qui aedes acervumve frumenti iuxta domum positum combussisset, igni necari debere.“ Vt autem aedes comburantur, nisi claris flammis, fieri per rerum naturam non potest. — Brevissima est sanctio Constitutionis Criminalis Carolinae art. CXXV, quae his tantum verbis, poenam, non corpus delicti definentibus continetur: „Item, die boshaftigen überwunden brenner sollen mit dem feuer vom leben zum todt gericht werden.“ Saxonicae leges nihil plane continent, unde conatum criminis incendii a consummatione accurate dignoscamus, si quidem discesseris ab ipsa illa lege, quam explicandam nobis sumsimus, (in qua sane aliquid inesse videtur, quod constituendae notioni incendii consummati inservire possit) et a Const. XVII. P. IV., de qua v. §. VII.

§. IV.

Sententiae Iurisconsultorum recensentur.

Quod ad sententias Ictorum, qui post promulgatam Nemesin Carolinam floruerunt, incendium sicuti ex communi loquendi usu

non intelligitur, nisi flamma emicuerit, ita etiam ab istis haud aliam notionem ei vocabulo subiectam esse intelligimus, et commune fere hoc erat placitum, incendium non fuisse, nisi flammae emicuerint²⁾. Quod quo minus dubium videatur lectoribus, singularum aetatum Ictos in testimonium adhibeamus. Sic CARPZOVIVS loco infra citato: „*Absque dubio, ait, poena ignis reo est infligenda, si per incendium parvum et minimum damnum illatum et ignis eo ipso momento, dum urere ac aedes inflammare coeperit, rursus fuerit extinctus* (unde apparet, si aedes inflammare ignis plane non coeperit, i. e. flamma non emicuerit, incendium CARPZOVIO non videri.) Eundem fere in modum BERGERVS l. c. „*Consummatum incendium vocatur, sive aedes sint inflammatae, sive materia accensa sit, quem in modum intelligenda est, c. 17. p. 4. Neque enim sufficit materiae, ad ignem concipiendum aptae, positio, sed inflammatio praestruitur: quanquam id necesse non est, ut aedes ardescant*“ — IDEM: „*Quamvis aedes non ardescant tamen poena incendii ordinaria, puta ignis locum habet, modo materia ad ignem concipiendum apta, fuerit inflammata.*“ BOEHMERVS l. c. sic habet: „*Materiale (criminis incendii) ut aiunt, est conflagratio, producta in rebus ad concipiendum ignem aptis, sicuti formale non modo in dolo, vel culpa sed etiam periculo quaerendum. Conflagrare res dicuntur, ex quo ardescere incipiunt, non demum si per flammam fuerit consumtae.*“

2) CARPZOV, pract. ver. crim. P. II. qu. 38. BEYER, posit. ad art. 125. C. C. C. BERGER, Electa iurisprud. crim. Cap. II. Membr. III. §. 14. p. 119. et in supplem. P. I. obs. XXXII. p. 111. BOEHMER ad Carpzov qu. 38. obs. 2. a. E. Idem meditat. in C. C. C. ad art. 125. §. 1. ENGAV, element. §. 427. QUISTORP, Grundsätze d. peinl. Rechts. §. 196. CREMANI, de iure criminali Libr. II. Cap. V. Art. II. §. 5. MEISTER, princ. iur. crim. §. 193. GROLMANN, Grundsätze der Criminalrechtswissenschaft. §. 313. TITTMANN, Handbuch, zweite Ausgabe. §. 525. FEUERBACH, §. 361. ROSSHIRT, §. 130. not. 3. Confr. quoque WAECHTER, Lehrb. des römisch-deutschen Strafrechts. T. II. pag. 384. sqq. HENKE, Handbuch des Criminalrechts und der Crim. Politik. T. III. p. 101.

Atque MEISTERVS l. c. „*Ad eius (i. e. incendii) essentiam desideratur, ut ignis dolo vel culpa excitatus sit; orta videlicet flamma.*“

Porro TITTMANNVS l. c.: „*Es muss, da das Brennen eine Flamme voraussetzt, die Sache nicht bloß vom Feuer ergriffen worden, sondern wirklich in Feuer aufgelodert seyn. So lange also die Sache noch glimmt und von derselben keine Flamme aufgelodert ist, so lange ist die Handlung nur als Versuch der Brandstiftung zu betrachten.*“

Deinde WAECHTERVS l. c. plurimis Germaniae Iurisconsultis, qui in iure criminali excolendo elaboravissent, per duo fere saecula constanter hoc placuisse testatur: „*Dafs ein Brennen der Materialien zur Brandstiftung oder ein blosses Glimmen der anzuzündenden Hauptsache zwar nicht hinreiche, allein das Verbrechen doch consumirt sey, sobald die Flamme an der Hauptsache aufgelodert sey, die Sache Flamme gegeben habe, gleichviel, ob die Flamme für Einzelne bezwingbar war, oder nicht.*“

Denique HENKIVS l. c.: „*Die herrschende, von den meisten ältern und neuern Criminalisten vertheidigte Ansicht hierüber besteht darin, dafs das Anzünden der Materialien, mittelst welcher die Brandstiftung bewerkstelligt werden soll, ja selbst das bloße Glimmen der anzuzündenden Hauptsache die Vollendung noch nicht begründe, sondern erst das Auflodern der Hauptsache in Flammen, einerlei übrigens, ob diese für Einzelne bezwingbar waren oder nicht.*“

§. V.

Continuatio.

Nuper tamen Prudentibus diversa probari coeperunt. Alii enim ne flamma quidem emicante contenti, hoc ad notionem incendii consummati necessarium esse putaverunt, ut tumultus vel trepidatio servandorum hominum et rerum causa (*Rettungslärm*) orire-

tur³⁾. Alii ignis iniectionem (*Feueranlegen*) a crimine incendii (*Brandstiftung*) ita distinxerunt, ut hoc tum commissum esse dicerent, quum singularum aedificii alicuius partium coniunctio esset resoluta, materia ipsa in carbones redacta, sive id claris flammis, sive etiam gliscente igne effectum esset⁴⁾.

§. VI.

Dissensus inter Iurisconsultos.

Sed haec quidem recentiora. Eo tempore, quo lex Saxonica de incendiariis d. d. XVI. Nov. 1741. lata est, vix quisquam fuit, qui dubitaret, quin incendium esset consummatum, si modo flamma erupisset, neque unquam intelligeretur, si nulla flamma conspicua fuisset. In eo quoque plurimi consenserunt, nihil quidquam referre, utrum magnum damnum an parvum an nullum datum esset⁵⁾. Alia tamen in re permagnus erat dissensus inter Ictos. Videlicet ad unum fere omnes singularem quandam excitandi incendii speciem sibi finxerunt, hanc quidem, ubi quis ad accendendas, aedes aliasve res, in quibus incendii crimen committi posset, materiam aliquam igni concipiendo et in aedes rell. transfe-

3) HOFACKER, über das Verbrechen der Brandstiftung in Diario: „Neues Archiv für Criminalrecht von Kleinschrod, Konopak und Mittermaier.“ T. 5. p. 94 et 130. MARTIN, Lehrbuch des Deutschen gemeinen Criminalrechts. (Heidelb. 1825.) §. 182. SALCHOW, Lehrbuch des gemeinen positiven peinlichen Rechts. Bd. III. §. 404.

4) WERNER, Handbuch des peinlichen Rechts. Hadam. 1820. §. 67. seq. Sic etiam MARTINVS l. c. nihil referre ait, „ob die angezündete Hauptsache bereits Flammen von sich gegeben oder nur als Kohle geglimmt hat.“

5) VNUS BERGERVS, in hoc quidem non satis, uti nobis videtur, sibi constans, exemplum affert in Supplementis. l. s. cit. ubi gliscente tantum igne incendii crimen pro consummato habuisse esse videtur. Sed dubiis utitur verbis, neque etiam poena ordinaria in reum statuta est,

rendo aptam supponat, atque accendat. Alteram speciem, qua quis rem incendio delendam non tali materia supposita, sed per ignem directe admotum accenderet, tantum non plane omiserunt, quamquam ambiguum non sit, sic quoque incendii crimen committi atque consummari posse, imo hanc rationem simpliciore esse et talem, in qua exitus rarius fallat⁶⁾. Quod ad priorem speciem attinet, in eo quidem (id quod modo monuimus) omnes fere conspiraverunt, *claras flammis* conspicuas esse debere. De eo tamen in diversas partes abierunt Iurisconsulti Germanici, utrum iam sufficeret ad consummandum crimen incendii, si tantum materia subiecta arsisset, an hoc requireretur, ut res, quam per ignem delere vellet incendiarius, ipsa flammis fuisset correpta⁷⁾.

§. VII.

Sanctio Constitutionis Saxonicae XVII. P. IV.

Sed haec quoque controversia certe in terris Saxonicae ditioni subiectis dudum ante legem nostram diremta est, Constitutione quidem XVII. P. IV., cuius verba haec sunt:

Wir vermerken, daß etliche in Zweifel setzen, ob diejenigen, welche Feuer angelegt, wenn dasselbige nicht angegangen wäre oder Schaden gethan hätte, für Mordbrenner zu achten und mit dem Feuer gestraft werden möchten?

Nachdem denn solche Missethat unter die größten und atrocissima delicta gerechnet, auch solch grausames und unmenschliches Vornehmen etliche Jahre sehr gemein worden, und dann an der

6) DORN praktischer Commentar Th. I. §. 127. MADHVN syst. iur. crim. §. 276.

7) Prior sententia placuit Ictis Saxonis fere omnibus. Cf. ex auctoribus supra ad not. 2. laudatis CARPZOVIVM et BERGERVM; adde etiam WERNHERI Obs. p. IX. obs. 176.

Miſshändler Willen dieſſfalls nicht gemangelt: ſo ordnen, ſetzen und wollen Wir, daſs obgeſetzte Verbrecher nicht weniger als andere Mordbrenner mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet und geſtraft werden ſollen.

Deſgleichen conſtituiren und ſetzen Wir auch: daſs diejenigen, welche ſich mit Gelde oder in anderm Wege zu Mord und Brennen beſtellen und annehmen laſſen, mit dem Schwert ſollen gerichtet werden, wenn auch gleich darauf nichts Ferneres erfolget.

Hac lege, uti diximus, certe quod ad iudicia Saxoniae sublata est controversia, quae agitabatur de eo, utrum crimen incendii tum demum, quum res flammis delenda ipsa arderet, an iam tum, quum materia ad illam rem incendendam iniecta inflammata esset, consummatum videretur. Neque vero, tametsi severior sententia Principi placuisset, tamen de eo quidquam directis verbis sancitum est in illa constitutione, utrum flamma e materia ad ignem concipiendum idonea clare emicans requireretur, an iam hoc ipsum, quod ignis per illam glisceret, ad consummationem delicti sufficeret.

§. VIII.

C o n t i n u a t i o .

Ac poterat sane aliquis ex verbis legis „und dann an der Miſshändler Willen nichts gemangelt,“ hoc deducere: secundum ius Saxonicum vel conatum huius criminis aequae ac delictum consummatum puniendum esse; ipsum igitur conatum consummationi aequiparari; conatus autem reum haud dubie eum esse, qui vel materiam, in qua glisceret ignis, in aedes aliamve rem, in qua incendii crimen committi posset, iniectisset, iniectamve reliquisset. Itaque huius quoque ausum consummati criminis poena plectendum esse. Neque parum adiumenti habere videtur ista coniectura in verbis ultimis constitutionis, qua vel ii etsi non igne, gladio tamen puniuntur, qui vel pecunia vel alio modo ad tantum facinus committendum conduci se passi sunt, etiamsi ad effectum id non dedu-

xerint. Manifestum enim est, ulterius esse progressum in delicto perficiendo, qui materiam ad excitandum ignem destinata iam iam iacenderit, etiamsi ignis tantum glisceret, neque in flammam adhuc prorupisset, quam illum, qui tantum ad delictum committendum conduci se passus sit, neque quidquam adhuc eius perpetrandi causa fecerit. Admonendi tamen sumus, eo tempore subtiles notionum distinctiones inter delictum praeparatum, inchoatum, perfectum, consummatum, quales nostrae aetatis sagacitas excogitavit⁸⁾, aut plane fuisse incognitas, aut perobscuras et confusas. Hinc hodiernae disciplinae praeccepta ad antiquas istas leges interpretandas adhibere, periculosum. Alia potius ratio ineunda, inspiciendique ac quasi testes producendi sunt Iurisconsulti aequales, aut proximae a lege condita aetatis, ut ex illis discamus, quomodo tunc temporis verba legis intellecta sint. Talemque testem habemus locupletissimum, CARP-ZOVIVM⁹⁾, constitutionem, de qua quaeritur, interpretantem, cuius verba integra huc transferamus, quum ex illis clarum fiat, eum quoque, Iurisconsultum aevi sui facile principem, et cuius auctoritas maxima esset in foro, constitutionem XVII. p. IV. ita intellexisse, ut non nisi *inflammata* materia ad ignem excitandum deposita delictum pro consummato haberet. Ait enim: „*Constitutio XVII. p. IV. eos quoque, qui animo nocendi materiam igni concipiendo aptam alicubi deposuerunt, licet effectum res consecuta non sit, nec ignis urere coeperit, aut inflammatus fuerit, flammis ultricibus vivos comburi iubet in verbis: welche Feuer angelegt, wenn dasselbige nicht angegangen wäre oder Schaden gethan hätte. Quae ta-*

8) Cf. quod ad crimen incendii CAR. GVIL. HARTZ Dissertatio „De crimine incendii.“ Lips. 1809. §. V. qui auctor sic habet: Ex rationibus supra allatis optime intelligitur, quando crimen incendii pro inchoato, quando pro perfecto, denique quando pro consummato habendum sit. Quo in loco tres quasi gradus distinguendi sunt. Primus est, si ignis rebus admotus fuerit; secundus, si res arripuerit; tertius, si flamma emicauerit.

9) Pract. rer. crim. p. II. Q. XXXVIII. Num. 41 sqq.

men verba non ita accipi debent, ut poena ignis locum habeat, licet reus materiam igni concipiendo aptam depositam nondum inflammaverit, quod nimis rigorosum esset, eoque casu absque dubio poena fustigationis sufficiens. Matth. Col. P. 1. dec. 186. Sed hoc praedicta verba innuunt, sufficere scilicet ad poenam ignis infligendam, si materia igni concipiendo apta in aedibus deposita et inflammata quoque fuerit, licet ipsae aedes nondum ardere coeperint. Huncque sensum probant verba subsequents: denn an der Mifshändler Willen dießfalls nichts gemangelt, quibus ratio huius sanctionis continetur, quod nempe quoad incendiarios crimen incendiæ perfectum sit, licet ignis aedes nondum inflammaverit, neque per eos stet, quo minus res ad effectum deducatur, quod certe hoc casu quo materia deposita nondum accensa est igne, nequaquam aessri potest. —

His verbis subiungit sententiae formulam, qua femina quaedam ad poenam ignis condemnata est; tumque sic pergit: „*Ex quo apparet, Dominos Scabinos poenam ordinariam dictare noluisse, nisi certo constaret, materiam igni aptam depositam, inflammatam fuisse atque ardere coepisse.*“

Iam quidem, quid haec omnia valeant, ad explicandam paragraphum II. leg. Sax. d. XVI. Novbr. MDCCXXXI. ostendendum est. Sed ne fines libelli academici transgrediamur, haec quidem alii speiminini propediem nobis edendo reservamus.

Nunc autem id agamus, quod potissimum huic commentationculae scribendae occasionem dedit.

Indicenda nimirum sunt Solemnia Inauguralia, quibus

V I R

PRAENOBILISSIMVS ATQVE CONSVLTISSIMVS

CAROLVS AVGVSTVS LEHMANN

NEVKIRCHA - LVSATVS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

summos in Vtroque Iure honores consecuturus est. Ne vero quemquam lateat, quis sit Candidatus noster, quae de vita sua ad Nos perscripsit, suis Ipsius verbis Vobis exhibemus:

Natus sum in Lusatiae Saxonicae pago de nova aede nominato atque ad Bohemorum fines sito, anno huius seculi III. die VI. mens. Mart. patre IOSEPHO TIMOTHEO, agricola et mercatore, quem ante hos octo annos praematuro morte mihi ereptum lugeo, matre CHRISTIANA ELEONORA e gente PROTZIORVM, quam dilectissimam, summa semper de me cura atque sollicitudine agitatum, ut ad seros usque annos salvam atque incolumem mihi summum numen conservet, pio gratoque animo precor.

Prima religionis literarumque elementa me docuit KOEHLERS, in pago paterno cantor et praeceptor publicus, cuius singulari artium literarumque amore, cura atque industria, qua in erudiendis puerorum animis insignis est, effectum, ut, quod valde appetebam, XIV annos natus Gymnasio, quod Budissae floret, traderer.

In quo per sex annos praecleara institutione SIEBELISII, b. OTTONIS, BARTHII, KAEVFFERI, MVELLERI,

LOESCHKII, BROEERI et GEBAVERI V. V. Clar. et Doct. usus sum, quibus omnibus ita me obstrictum sentio, ut non potuerim non palam iis hic profiteri animum gratissimum.

Anno h. s. XXIII. a Viro Magnifico b. BECKIO, penes quem tum fascēs academiae erant, albo Universitatis Lipsiensis inscriptus, ibi per triennium et quod excurrit Virorum Magnificorum, Summe Reverendorum, Illustrium, Iurisconsultissimorum et Clarissimorum scholis, et quidem b. HAYBOLDI de iure civili, b. BIENERI de ordine iudiciorum, b. WENCKII de iure patrio, b. WEISSII de iure Germanico, criminali, feudali et patrio publico, KLIENII de iure ecclesiastico, de ordine iudiciorum et de arte referendi ex actis iudicialibus, b. BECKII et POELITZII de historia, KRUGII et HEINROTHI de philosophia interfui.

Deinde, quum praeside b. MVELLERO exeunte mense Augusto anni XXVI. de variis iuris controversi capitibus disputavissem, iamque ad tentamen subeundem accingerer, fata iusserunt ab epistolis esse S. I. R. Comiti a WINTZINGBODA, Potentissimi Regis Württembergici primo quondam in republica regunda administro, Viro Illustrissimo ac Celebratissimo, atque hac tempestate in rebus politicis Nestoris, a quo annis paulum distat, facile prima prementi vestigia.

Rediit in patriam et ad legitimam scientiam, examen, quod pro candidatura et praxi vocant, mense Iulio anni h. s. XXIX. subii, quo feliciter superato, causis in foro orandis duce Viro Consultissimo atque amicissimo, PFOTEN. HAVERO, causarum patrono huius nobis aestimatissimo, operam dare coepi, multum praeterea hucusque in omnibus ac singulis iuris disciplinis examinando tradendis occupatus.

Speciminibus, quae leges ab advocaturae candidatis exigunt, exhibitis et adprobatis, rigorosum quoque examen mense Iulio h. a. superavi, quo ad summos in utroque iure honores mihi pateret aditus.

Iam in eo est, ut Vir Consultissimus, utroque examine summa cum laude superato summos in utroque Iure honores cunctorum suffragiis Ipsi decretos, adipiscatur. Hinc proximo d. XX. Decembris h. II. ad interpretandam

L. 26. C. de usuris. (IV. 32.)

recitationem publice habebit, et die insequenti Dissertationem inauguralem

De modo negotiis adiecto

sine praeside defendet, quo facto

V I R

ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMVS IVRIVM CONSVLTISSIMVS
ATQVE AMPLISSIMVS

D. CAROLVS AVGVSTVS BREHM

SVPREMAE CVRIAE REGIAE CONSILIARIVS, COLLEGII
IVRISCONSULTORVM SENIOR

Collega meritissimus atque coniunctissimus, in quem ego Cancellarii munere usus Promotoris partes transtuli, Doctoris in Vtroque Iure dignitatem, iura, praegorativas et privilegia Praeclarissimo Viro tribuet ac largietur.

Quam solemnitatem ut VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPV-

